

IV, vii, 10. Neve in exteriora et a se diversa currat anima, ut temperantiam et iustitiam contempletur, sed ipsa in se remaneat, ipsa se et suam priorem perfectionem inspiciat; purificata enim, in se tanquam statuas constitutas videbit, quae temporis decursu rubigine fuerant consumptae. Aurum conscium fingamus, quod cum terra admixtum se ignoraret, terra autem amota cum auri puri excellentiam viderit stuperet, agnosceretque nullo modo extrinseca esse quaerenda, immo, dum solum esse sibi liceat, ceteris rebus se praecellere.

I, vi, 5. Etiam circa amatoria quae sensu non percipiuntur inquirere oportet. Quid ergo patimini erga nota illa honestia studia, et mores honestos, et moderatam vitae rationem, et uno verbo omnia virtutis vel opera vel habitus, et ipsam denique animae pulchritudinem... Patimini.. bacchamini.. permovemini.. desiderio flagratis.. ipsos sibi uniri et corporibus discedere cupitis.. Haec sunt ea quae reapse sunt... Quid est quod in omnibus virtutibus tanquam lux effulgere soleat?

Tanquam malum extrinsecum turpitudine animae advenit.. unde ea non videt quae contemplari debet, neque in se manere potest, cum semper extra se et infra se et in obscuritatem trahitur... Illud ergo turpitudine est quod neque pura neque simplex est anima, sed sicut aurum terra admixtum...

I, viii, 4. ... ita natura materialis mala est ut quod nondum in materia situm est sed tantum materiam respicit iam malitia repleatur.

I, vi, 9. Anima, ad se ipsam revocata et tanquam e materia expergefata, non statim haec lucida contemplari potest. Habitus ergo consequendi sunt.. Honestia studia, honestia opera, ipsam denique eorum animam inspicere qui honestia opera operantur.. Quomodo.. Ipse in se redi et ibi inspicere; et si te nondum pulchrum videris, tanquam statuas faciens... ita superflua tolle, devia dirige, obscura purifica eaque lucida redde, neque hanc tuam statuas prius polire desinas quam divinus virtutis splendor effulserit et temperantiam videris in suo sancto throno consedentem. Quod si factus fueris.. totus lumen et verum lumen et lumen tantum... ipse in visionem transmutatus, enixe inspicere; solus enim ille oculus maximam videt pulchritudinem.. Videns enim visio connaturale et simile.. Sis ergo divinus totus, pulcher totus, si deum et pulchritudinem visurus es.

Quaestio nostra: Quid moralitatis inerat illa S. Gregorii Nysseni theoria de naturali animae pulchritudine? Quid inerat veritatis?

Analysis horum textuum.

1. Assertitur ordinaria perceptio et admiratio et amor honestatis: elementum emotionale et conativum emphatice proponitur.
2. Assertitur lex in membris quae contra legem mentis operatur.
3. Secundum principium "simile simili cognoscitur" ex obiectiva honestatis pulchritudine ad animae cognoscentis pulchritudinem proceditur.
4. Oppositio inter carnem et spiritum metaphysice intelligitur tanquam intrinsece mala esset materia.
5. Via purgativa (cultus virtutum). proponitur ut medium ad contemplationem mysticam.

Conferendum est "simile simili cognoscitur" cum "qualis quisque est, talis ei finis videtur." Considera: "... fieri non posse ut vulgus ad honestatem convertatur; non enim nati sunt propter verecundiam obtemperare sed propter timorem, neque propter dedecus a turpibus abstinere sed propter poenas; secundum passiones vivunt, delectationem quaerunt, oppositosque dolores effugiunt; at honestatis et eius quod vere delectabile est ne intelligentiam quidem habent, cum sine gustu sint." Eth, Nic., X, ix, 4; 1179 b 10-16. Secundum Aristotelem iudicia moralia sunt relativa: qualis quisque est.. Verum autem iudicium est quod a $\tau\acute{o}$ spoudaio profertur. cf. ibid., X, vi, 4 5; 1176 b 19-26.

[Exercitatio practica in locum e S. Gregorio Nysseno excerptum. cf. Textus et Documenta, Ser. theol., 21, De Platonismo Patrum, R P Arnou, PUGreg 1935, §§ 26, 29, pp. 35, 38].

Qui hodiernae interpretationi proponitur textus, ex opere quodam ascetico (c. 370 conscripto) S. Gregorii Nysseni (c. 335 - post 394) desumitur. (De Virginitate, xii, MG 46:372ABC).

Cum fabulam romanticam non confingamus in qua omnia celata atque obiecta ~~remaneant~~ (ad ultimam usque paginam) remanere soleant, statim et paucis verbis totam quaestionem et tractationis rationem aperire videtur. In primis ergo modo prorsus diverso ac nos S. Gregorius hoc saltem in loco peccatum concipit. Non dicit peccatum esse voluntarium; non dicit id esse culpabile; non dicit peccatorem dolere debere et poenitentiam agere; non dicit Deum peccatis offendi, neque divinae maiestati peccatis contumeliam inferri. Haec sane non negat. Neque tamen affirmat. Sed quod affirmat satis mirum, ne dicam haereticum, esse videtur. Tota enim eius oratio his tribus contineri videtur: 1) originalis iustitia, etsi gratuita, propria tamen ^{immo, pars essentiae et naturae humanae} atque naturalis homini erat; 2) divina pulchritudo seu gratia huius primi status hominis non plane amissa est peccato originali sed diminuta, obscurata, corrupta; 3) reditus ad primum hunc statum post peccatum originale vires naturales excedere non videtur, quippe quod non amissa gratia sed obiecta. Ut res sit clara, comparisonem instituo: sicut Lutherus peccatum non tolli sed tantum obtegi docuit, ita S. Gregorius gratiam non tolli sed peccato tantum obtegi dicere videtur. Hoc ergo problema nostrum est. Disceptationem autem hac fere ratione dividere videtur: cum totius quaestionis centrum sit pulchritudo quaedam divina, in primis quaedam historica de S. Irenaeo et S. Athanasio sunt dicenda. Deinde, probabimus ex loco nostro, ex contextu, et ex aliis locis S. Gregorium hanc divinam pulchritudinem simul supernaturalem et naturalem duxisse. Tertio, cum fons et origo huius confusionis in theoriis moralibus et asceticis Platonicorum inveniat, excursionem in hanc materiam tentabimus. Quarto, observationes quaedam de peccato, oratione, apatheia, et intellectualismo proferre audebimus. ^{antiquum}

Prima verba (omne opus Dei..) ^{in numerum} controversiam cum gnosticis revocat. Haec

breviter esse exponenda videtur. (cf. DTC XII(23):322ss.). Gnostici ergo ex necessitate quadam naturali malum esse ortum censebant. Contra quos in primis surrexit S. Irenaeus ut Dei iustitiam atque omnipotentiam per synthesis scripturisticam vindicaret. Centrum huic synthesisi atque fundamentum erat quod in Genesi (1:18) legitur: "Faciamus hominem ad imaginem et similitudinem nostram." Qua similitudine affirmata, tota gnosticorum theoria collabitur: illud enim quod ad similitudinem Dei est factum non sane necessitate malum est; at si non necessitate, ergo libera voluntate. Iam vero originalitas Irenaei in eo erat quod primordiale imaginem atque similitudinem non solum tamquam probationem bonitatis Dei consideravit, sed hanc eandem conceptionem ad lapsum protoparentum et ad redemptionem Christi extendebat. Peccatum protoparentum hanc Deo assimilationem destruxit; Verbum aeternum, ipsa Dei imago invisibilis, eo fine caro sensibilis factum est ut hanc imaginem his in terris restauraret et homini peccatis inquinato primitivam excellentiam atque perfectionem restitueret. Totam igitur scripturam hoc unico imaginis divinae conceptu contineri videtis: initio enim est homini collata, deinde est peccato destructa, tertio in Verbo Incarnato est restaurata atque restituta.

Hactenus de Irenaeo. Illud sane est maxime notandum quod synthesis sua de divina imagine fere tota et tamquam iam facta de ipsis scripturis eruitur. Non tamen fieri poterat ut haec synthesis, doctrinae platonicae similima, non amplius et magis explicite per considerationes philosophicas elaboraretur. Quod quidem quarto tandem saeculo ab Athanasio iuveni esse factum iam audivistis. Sed in hac accomodatione philosophiae ad intelligentiam doctrinae revelatae illud ^{ad-} fuisse periculum ipsi cernitis ne gratia supernaturalis cum donis praeternaturalibus et potentiis pure naturalibus admisceatur et confundatur. Ad mentem Irenaei enim et generatim quidem apud patres initialis illa imago atque similitudo Dei quam Christus restauravit gratia supernaturalis est. *cf. Palanieri, de Div. Graecis, Romae 1878, pp. 410-412, 414.* Ad mentem autem philosophorum, prorsus naturalis ~~adest in ipsa anima pulchritudo quaedam quae latiore sensu divina dicitur.~~ adest in ipsa anima pulchritudo quaedam quae latiore sensu divina dicitur.

Quod ^{confusionis} periculum non penitus effugisse S. Athanasius videtur. In III enim Oratione contra Arianos (MG 26:393a) multos ante Christum sanctos et a peccato exemptos exstetisse affirmat. Cuius ⁱⁿ ~~confusionis~~ originem alio loco facillius videre possumus. In oratione contra Gentes, §34, ad idolorum cultores haec dicit: "Cur item ¹quemadmodum a Deo recesserunt, ²ita rursus ad eundem non confugiunt? Namque ut Deum ³mente deseruere, et res quae nullae sunt deos effinxere, sic ⁴eadem suae animae mente ascendere et se iterum ad Deum possunt convertere. Possunt, inquam, si quas omnium cupiditatum sordes ⁵induerint, ⁶deponant, et tandiu abluant, donec quidquid alienum animae ⁷accesserit ⁸abiecerint, eamque ⁹solan, qualis creata est, exhibuerint, ut hoc pacto Patris Verbum, ad cuius similitudinem ab initio facti sunt, in illa intueri valeant. Ad imaginem siquidem et similitudinem Dei facta et creata est anima, ut et divina scriptura indicat, quae ex persona Dei ita loquitur: Faciamus hominem ad imaginem et similitudinem nostram. Quocirca cum omnes peccati maculas, quibus ¹⁰aspera fuerit, ¹¹abstergerit, et ¹²solan illam similitudinem ¹³puram atque ¹⁴integram servaverit, merito in ea perpurgata ac splendente, tamquam in speculo, Verbum, imaginem Patris, contemplantur; et in Verbo Patrem cuius et Salvator imago est, cogitatione comprehendet." (MG 25: 67CD)

Minime nostra intentio est disceptationem in hunc textum facere: unum ¹⁵quaerimus illud ~~magnum~~. Si imago Dei, quae initio naturae est collata, supernaturalis fuerit, totaliter per peccatum originale et personale destruetur. Si ergo haec imago idolotriae peccato destructa erit, non sane purgatione morali homo ad hanc imaginem redire poterit. Non solum requiritur purgatio; etiam requiritur nova gratiae infusio. Sine enim gratia illa Dei imago abest; quae absens, contemplationi non subest.

Quod vero in S. Athanasio insinuamus, statim in S. Gregorio Nysseno, patrum Alexandrinorum sequaci, inueniemus. Ita enim hanc imaginem esse supernaturalem considerare videtur, ut primo homini sit gratuito collata, sed peccato potius obscurata et corrupta quam sublata et plane amissa. Non ad modum accidentis amovibilis gratia concipitur sed potius ad modum alicuius partis essentiae quae in peccatoribus et iustis pariter remanet, in iustis autem clara est, in peccatoribus occultata et corrupta.

In primis ergo demonstrandum est illam imaginem, ^{secundum Augustinum} esse initio supernaturalem: quod quidem ultimis loci citati propositionibus clare continetur. Humani enim operis, immo humanae potentiae non est illa ad Deum assimilatio, sed munificentiae Dei qui a primo statim ortu hanc sibi similitudinem naturae largitus sit.

Altera quaestio iam est ponenda num reditus post peccatum ad illam assimilationem originalem sit supra vires naturae. Aliis verbis, num illa ad Deum assimilatio ita initio collata est ut peccato penitus amittatur? Cui quaestioni e multis indicis negative respondendum esse videtur.

a 1. 4, dicitur malitia in homine^m infundi ex parvo principio in infinitum; atque, si plane amissa fuisset illa assimilatio, peccatum originale non parvum principium sed ipsum maximum malorum esset; ergo non plane amissa erat.

b Iis deinde utitur similitudinibus ut assimilatio corrupta vel obiecta non vero sublata et amissa esse videatur. Ferrum enim rubigine consumptum ferrum esse pergit. Homo in coenum illapsus, facie limo oblita, etsi a familiaribus agnoscere non possit, nihilo minus homo remanet. Porro, peccatum tegumento sordido aequiparatur et tamquam vestis induitur et deponitur.

c Ex contextu constare videtur praecise hunc in finem, scilicet, peccatum esse assimilationis obscuracionem vel corruptionem minime autem perditionem, has similitudines adhibitas esse.

Continuo enim dicit: "At hominum studii ^(τοῦ σπουδίου) tantum illud sane est ut quas sibi sordes postea ex peccato ipsi contraxerant, eas omnino eluant, pulchritudinemque illam illustrent quae in animo occultata est."

καὶ τὸ κεκαλυμμένον ἐν τῇ ψυχῇ κάλλος διαφανήσεται MG 46:372 D

Deinde parabolam de amissae drachmae indagacione ita interpretatur ut imago ~~ga~~ regis in drachma impressa similitudini Dei in anima expressae aequiparetur. "... suae quemque domi, nempe in se ipso, amissam drachmam exquirere vult (Dominus). Hac sane drachmae indagacione summi regis imaginem tacite intelligi oportet, quae non plane amissa sed sub fimo occultata est."

MG 46:373 AB

d Non dicit Christum nos regenerare sed ~~per purificationem~~ ^{per purificationem} ~~suasisse~~ ^{suasisse} ut per purificationem vitae squalidam peccati imaginem deponeremus.

e Technice affirmat: aliena (peccata) reiciere idem est ac ad propria iuxta naturam redire. Sane purificatione morali ad statum naturalem redit homo, non vero ad statum supernaturalem qui postulant sacramenta sive baptismum sive poenitentiam.

[NB De nexu inter "talīs rursus fiat" et "non enim nostrum": id quod nostrum non est, ad Deum assimilatio est; id quod nostrum est, ad hanc assimilationem redire est; ~~unde~~ at si utrumque nostrum esset, necesse non esset ad statum primordialē redire, sed sufficeret secundum propriam naturam progredi atque evolvi.]

(*is. cum h. am.*)

f Porro cum his omnibus consistentēter locutus esse videtur in oratione VI de Beatitudinibus.

Sic enim explicat illa verba, "Intra vos est Regnum Dei." Lc 17:21.

"... ut doceamur quod qui cor suum ab omni creatura atque vitiosa affectione expurgavit, in sua ipsius pulchritudine divinae naturae imaginem intuetur.

Ac mihi videtur Verbum, paucis quae dixit, eiusmodi consilium complecti: O vos homines, quibus inest aliqua cupiditas contemplandi quod vere bonum est, cum audiveritis divinam maiestatem super coelos elatam et exaltatam, gloriam eius inexplicabilem, pulchritudinem ineffabilem esse, naturam comprehendere non posse, ne prolabamini ad desperationem, qua non possitis intueri quod desideratis. [Versio quae sequitur non est MG]

Quam enim continere potes, ea in te est mensura contemplationis Dei qui ita te plasmavit ut tale bonum in naturam et in essentiam posuerit. Simulacra enim propriae excellentiae et naturae impressit tuae formationi Deus, tamquam ceram praeformans. At maflitia huic divinae impressioni

Τὸ γὰρ σοι χωρητὸν τῆς τοῦ Θεοῦ κατανοήσεως μέτρον ἐν σοὶ ἔστιν· οὕτω τοῦ πλάσαντός σε τὸ τοιοῦτον ἀγαθὸν εὐθὺς τῇ φύσει καταουσιώσαντος, τῶν γὰρ τῆς ἰδίας φύσεως ἀγαθῶν ὁ Θεὸς ἐνιτύπωσε τῇ σῆ ~~κατὰ~~ παρασκευῇ τὰ μέρηματα, οἷόν τινα κηρὸν σχήματι γλυφῆς προτυπώσας, ἀλλ' ἡ κακία τῷ θεοειδεῖ χαρακτῆρι περιχυθεῖσα ἄχρηστον ἐποίησε

circumfusa, inutile tibi hoc

donum reddidit et turpissima

veste contectum. (Versio MG sequitur) Si igitur diligente et accurata vita sordes cordi illitas et obductas rursus ablueris, resplendet in te divina pulchritudo. Quemadmodum in ferro fieri solet..." MG 44:1269D - 1272B

σοι τὸ ἀγαθὸν ἀποκρίθηναι
τοῖς νίχρως ἠφοκαλέμασιν.

Hoc sane in loco ad modum perfectionis naturalis illa divina pulchritudo concipitur. Sit gratuito collata, tamen in naturam et in essentiam ponitur; peccato non tollitur sed obscuratur; non gratia sed diligente et accurata vita iterum utilis ad contemplationem resplendet.

g Porro, paullo post in loco qui nostris textibus sub numero 429, p. 39 ^{fere} refertur, haec habet: Sicut sol speculo contemplari ^{itis} possumus, ita et vos ^{redeatis} "dummodo ad imaginis gratiam, quae ab initio in vobis est constituta, in ~~hinc~~ vobis ipsis habetis quod quaeritis. Puritas enim et passionum absentia et ab omni malo alienatio deitas est. Itaque si haec in te sunt, Deus prorsus in te est. Cum igitur ab omni vitio pura et a passione libera et ab omni iniquatione separata in te ratio fuerit, beatus es propter acumen visus...." MG 44:1272 C

Plane haec imaginis gratia ad quam reditur per rationis naturalis purificationem non nostro sensu supernaturalis est, sed eo tantum sensu quo quid indebite ipsi hominis essentiae indit^{um} supernatural^e dici potest.

h Ultimum denique argumentum sit quod dē infantibus qui praemature moriuntur a nostro S. Gregorio prolatum est: "At puellus infans, inquit, simplex omnisque malitiae expers, nullo etiam nunc oculorum animi morbo participationi lucis officiente, in eo quod naturale est versatur, sanitate quae per purgationem contingit, non indigens, quippe qui nec ab initio quidem prorsus in animum morbum admisit." [MG 46:177 D]

τὸ δὲ ἀπρόκακον
νήπιον, μηδεμίαν νόσον τῶν τῆς ψυχῆς ὀργάνων πρὸς τὴν τοῦ φωτὸς
μετουσίαν ἀπὸ τοῦ θούου, ἐν τῷ κατὰ φύσιν γίνεσθαι, μὴ δειόμενον
τῆς ἐκ τοῦ καθαρῶν ὑγιείας, ὅτι μὴδὲ τὴν ἀρχὴν τῆς νόσου
τῆ ψυχῆ παρεδέξατο.

Hactenus ergo de peccato; iam inquirendum est de natura illius purificationis. Quae quaestio cum nimis late patere videatur, ea ratione hac in exercitatione restringitur ut satis nos facturos arbitremur si elementum quod platonice et patribus, paganis et christianis commune est in aliqualem lucem proferre valeamus.

Plotinus ergo in IV enneade vii, 10, fere eadem de peccato dixit quae nuper Gregorium dixisse vidimus. Postquam enim animae immortalitatem ex sua divinitate probavit, sic locutus est:

Neve in exteriora et a se diversa currat anima, ut temperantiam et iustitiam contempletur, sed ipsa in se remaneat, ipsa se inspiciat; purificetur ac si ferrum esset rubigine et tempore consumptum, iamque videbit in se constitutas tamquam statuas prioris perfectionis Aurum conscius fingamus; ipsam se admixtum ignoraret, terra admixtum; sed terra amota, stuperet videns excellentiam auri puri, et cognosceret nullo modo oportere ut bonum sibi ceteris praecellere dummodo solum esse sibi liceat.

illa inveniuntur in

Ὅτι γὰρ ἡ ζωὴ που δραμοῦσα ἢ ψυχὴ σωφροσύνην καθορᾷ καὶ δικαιοσύνην, ἀλλ' αὐτὴ παρ' αὐτῆς ἐν τῇ κατανόησει ἑαυτῆς καὶ τοῦ ὀπίσθεν ἢ, ὡς περ ἀγάλματα ἐν αὐτῇ ἰδρυμένα ὁρῶσα οἶον ὑπὸ χρόνου ἰσοπέληρωμένα, καθαρὰ ποιησαμένη- ἰοῖον ἢ χρυσοῦς ἔμψυχος εἶη, εἴτις ἀποκρουσόμενος ὄρει γηγρὸν ἐν ἑαυτῷ, ἐν ἀγνοίᾳ πρότερον ἑαυτοῦ ὡς ὅτι μὴ χρυσοῦν εἴη, τότε δὲ αὐτὸν ἦδη τοῦ χρημάτων θαυμάσειεν ὄρων μνημονωμένον, καὶ ὡς οὐδὲν ἴρα εἶδεν αὐτῷ κάλλους εἴη κτῶ ἐνθυμῶτο, αὐτὸς κελτιστεύων, εἰ τις αὐτὸν ἴρ' ἑαυτοῦ εἴη εἶναι.

Eadem plane haec doctrina esse videtur ac illa quam in exponendis illis verbis, Intra vos est regnum Dei, ~~pro~~posuit S. Gregorius. Thesaurus enim intra nos est et sufficit sordes abluere ut eius specie et pulchritudine delectamur. At non sane eadem ratione qua Plotinus materiam abhorruit Gregorius. Plotino enim materia malum in se subsistens est Gregorio autem omne opus Dei est bonum, ideoque etiam materia. Qua de causa illud esse nostrum problema apparet ut elementum commune inter platonice et patres inveniamus.

Qua in quaestione per modum scientiae inductivae, hoc est, per hypothesin et verificationem procedi oportet. Data inquisitionis sunt verba cum platoniorum tum patrum; horum verborum intelligentia et significatio non sane obvia et aperta est; at sine intelligentia verborum nihil ~~deduci~~ e verbis per modum deductionis erui licet; ergo per hypotheses est procedendum.

Haec ergo sit hypothesis. Humanae naturae indita est quaedam honestatis perceptio atque admiratio, quae perceptio magnas habet partes cum ~~in~~ ^{in opud} Platone tum ~~in~~ Plotino, neque silentio prorsus ab Aristotele praetermittitur; intime connectitur haec perceptio cum vita morali, cum vita ascetica, cum contemplatione: cum vita morali, nam honestum dicit quid sit faciendum; cum vita ascetica, quia ascesis hanc perceptionem acuit et auget; cum contemplatione, quia haec perceptio cum sibi sufficiens ~~est~~ ^{quodammodo} non tam provocat ad ratiocinationem quam ad contemplationem invitat. Ex ipsa huius hypotheseos explicatione, quantum ad intelligentiam patrum conferat, videbitur.

In primis ergo datur haec perceptio. Aedamus Angelicum. In 2a., 2ae., q. cxlv, agitur de honestate. In articulo primo quaeritur utrum honestum sit idem virtuti et affirmative respondetur. Eiusdem articuli in corpore asseritur honestum, etsi non sit ultimus finis, tamen ^{quodammodo} esse ^{propter se} appetibile. Eiusdem articuli ad primam citatur Cicero: "... quod quiddam est quod sua vi nos allicit et sua dignitate trahit; ut: virtus, veritas, scientia.." Articulo altero citatur Augustinus: "Honestum votum intelligibilem pulchritudinem, quam spiritualem nos proprie dicimus." (83 QQ., q. 30). Quam Augustini sententiam suam facit S. Thomas in articulo quarto ubi asseritur honesta ~~esse~~ esse pulchritudo quaedam spiritualis.

Cicero et Augustinus cum ita ^{et} S. Thoma iuxta ponantur, illum locum Confessionum procul dubio vobis in memoriam revocant. "Et usitato iam discendi ordine perveneram in Librum quendam Ciceronis, cuius linguam fere omnes mirantur, pectus non ita. Sed liber ille ipsius exhortationem continet ad philosophiam et vocatur Hortensius. Ille vero liber mutavit affectum meum, et ad te ipsum, Domine, mutavit preces meas, et vota et desideria fecit alia. Viluit mihi repente omnis vana spes, et immortalitatem

cf. de Magistro
XII 31, ML 32:1216

9
sapientiae concupiscebam aestu cordis incredibili; et surgere coeperam
ut ad te redirem. Quomodo ardebam, Deus meus, quomodo ardebam
revolare a terrenis ad te; et nesciebam quid ageres mecum! Apud te est
enim sapientia. Amor autem sapientiae nomen graecum habet philosophiam,
quo me accendebant illae litterae Et ego illo tempore, scis tu,
lumen cordis mei, hoc tamen solo delectabar ~~in~~ in illa exhortatione,
quod non illam aut illam sectam sed ipsam quaecumque esset sapientiam
ut diligerem et quaererem et assequerem et tenerem atque amplexarer
fortiter, excitabar illo sermone et accendebar et ardebam; et hoc solum me
in tanta flagrantia refrangebat, quod nomen Christi non erat ibi."
Conf III iv 7 ML 32:685

Quanta, quam profunda Augustino fuerit illa honestatis perceptio,
ipse suis verbis nobis persuasit. Nostris temporibus illa eius experientia
non philosophica sed ^{religiosa} religiosa nominaretur: agitur enim non de veritate
~~matematica~~ ~~matematica~~ ulla specifica sed de ipsa veritatis idea, non de hac
illave sapientia sed de ipsa Sapientia, neque de sapientia praecisive
sumpta et abstractive nota sed de sapientia quae in quavis sapientiae
parte vel consequenti refulget et animam erigit et cor commovet; praeterea,
non speculativa sed practica erat illa experientia quae preces et desideria
alia fecit et affectum mutavit et vanam spem evacuavit et tanta flagrantia
tanta ardore cor implevit ut, quae post ^{plur} ~~maximam~~ ²⁰ annos scripta et post mille
quingentos lecta sunt, illam enthusiasmi flammam retinere non desinant;
denique non philosophica sed religiosa videtur illa experientia quae
a terrenis ad Deum mentem revocavit. Contra tamen dicendum est illam
experientiam non proprie religiosam fuisse: aderat enim illa flagrantia,
etsi ~~maximam~~ nomen Christi afuerit, etsi huius nominis absentia inquietudinem
~~differebant~~ attulerit; praeterea, quod in Deum tunc tendebat, ipse Augustinus
nesciebat neque prius hoc cognoverat quam conversus ad religionem matris
Verbum Incarnatum esse ipsam sapientiam didicerit. Quid ergo dicendum?
Sane quod illa experientia illam mediam partem inter philosophiam et
religionem occupavit quam platoniam nominamus. Quod expertus est Augustinus,
fere idem Socrates et Plato et quovis in tempore optimus quisque experti
sunt. Sed explicio: non ^{pauci} omnes qui talem habent experientiam modo platonice

eam concipiunt et des cribunt, neque, uti patet, eodem gradu eademque intensitate ac summi illi viri eam recipiunt. Omnibus tamen inesse potentiam probat ^{v. c.} illa meditatio S. Ignatii de Regno Christi. Quemnam enim in finem proponitur haec meditatio? Sane ut idealismus ~~atmanik~~ ille moralis et enthusiasmus qui inter equites olim vigeat ad aliam illam militiam quae Christo duce contra diabolum geritur tamquam transferatur et infundatur, "ne ~~sim~~ sim surdus ad eius vocationem sed promptus ac diligens ad explendam eius sanctissimam voluntatem." (Praeludium secundum).

~~Similiter tunc in omni huiusmodi investigatione ad hanc perceptionem~~

Sint ergo haec dicta ad confirmandam existentiam huius perceptionis; qualis vero sit, ex hisdem facile est colligere. In primis enim est cognitio obiectiva: cognoscitur enim vel decus temperantiae vel fortitudinis sublimitas vel iustitiae honos vel sapientiae ^{tamquam divinitatem dico,} cum humanum sit errare atque peccare, sapiens autem qua sapiens non errat et nisi insipiens ^{non} peccat). At non solum datur haec positiva cognitio; adest enim similis cognitio turpitudinis quae concomitatur apprehensionem contrariorum vitiorum, incontinentiae, ignaviae, iniustitiae, stultitiae; praeterea, fortior atque communior haec turpitudinis quam illa pulchritudinis perceptio esse videtur. Tertio, non agitur de cognitione tantum obiectiva sed maxime de cognitione quae etiam affectiva et quodammodo effectiva est: ut illam citationem S. Thomae e Cicerone recolam, est "quiddam quod sua vi nos allicit et sua dignitate trahit." Quae alliciens vis et trahens dignitas, quanta esse possit, in Augustino iam vidimus: ipsam vero ipsi in nobis omnes plus minus experimur. Quarto, alia est haec vis et perceptionis acumen pro fidelitate qua tales motus animae sequi et obtemperare solemus: proprie enim de hac perceptione dicebat Aristoteles, "qualis unus quisque est, talis finis videtur ei;" qui enim totam vitam in honestatis studio atque prosecutione posuit, ipsam honestatem clare visam et consistentem applicatam tamquam vitae finem habet; qui autem in delectabilia animam dirigit et effundit, ita ei haec perceptio obtunditur, ut honestas vana et virtutis studium stultum esse videatur.

~~Quibus dictis, brevem investigationem ~~itaque~~ sententiae hae in re sive Socratis sive Platonis faciamus.~~

cf. *Antiqua Academia*
I, vii, 20 ML 32:916

Reliquum est ut connectionem cum vita ascetica exponamus. Iam vero cum qualis unus quisque sit talis finis ei videatur, sive, ut platonice loquar, simile simili cognoscatur, non solum ~~max~~ pravitate corrumpitur haec perceptio sed bonis moribus acuitur et confortatur. ~~Nam causa~~

Acutissime Augustinus huius rei causam in delectatione perit. Cum enim in sexto libro de Musica a numeris temporalibus ad numeros aeternos considerandos convertatur, [numeri aeterni nominantur illae intellectiones vel cognitiones quae sunt a priori notae et tamquam prima principia artis musicae praebent, cf. De Musica, VI, xii, 35, 36; ML 32:1183], illud tamquam fundamentum vitae asceticae proponitur: "Delectatio quippe quasi pondus est animae. Delectatio ergo ordinat animam. Ubi enim erit thesaurus tuus, ibi erit et cor tuum [Mt 6:21]: ubi delectatio, ibi thesaurus; ubi autem cor, ibi beatitudo aut miseria." [ibid. xi, 29; col. 1179]. At delectatio nostra haec in mundo haberi nequit: "laboriosior est huius mundi amor. Quod enim in illo anima quaerit, constantiam scilicet aeternitatemque, non invenit; quoniam rerum transitu completur infima pulchritudo.." [ibid., xiv, 44; col. 1185]. Qua de causa, "Gustate et videte quoniam suavis est Dominus." [Ps. 23:9] Nam "hoc esse arbitror, inquit, quod agitur in his virtutibus quae ipsa conversione animam purgant. Non enim amor [ib. xvi 52 col 1190] temporalium rerum expugnaretur, nisi aliqua suavitate aeternarum." Quae verba concrete interpretemur: nunquam Augustinus amorem terrenum expugnasset, nisi lecto Hortensio Ciceronis in cognitionem et delectationem rerum aeternarum introductus esset; delectatio ordinat animam; ubi thesaurus, ibi cor. Iam vero si delectatio ordinat animam, finis autem vitae asceticae maxime illud est ut animam ordinemus et corda a vitiosa affectione purificemus, procul dubio haec honestatis perceptio atque admiratio intimam relationem cum vita ascetica habet.

Hactenus de Augustino ^{quem} ~~qui~~, digitante Angelico, tamquam intermedium et ducem ad Platonem habuimus. Iam quaerendum est num quae ~~in~~ apud Augustinum invenimus etiam apud Platonem reperiri possint. Cui quaestioni affirmative est respondendum. Brevissima tamen et paucissima indicia proferri possunt propter temporis angustias et ^{ipsam} ~~exercitationis~~ rationem.

de Platone, Republica
103c

δὲ τὸ πρῶτον ἐπέχει τὴν ψυχὴν
καὶ τὴν ψυχὴν ἐπέχει τὴν ψυχὴν
καὶ τὴν ψυχὴν ἐπέχει τὴν ψυχὴν

In primis, ergo, illud citatur quod in dialogo qui Theages nominatur:
Soc. ... sed, uti scis, semper affirmo me nihil fere intelligere si parvam quandam cognitionem de amatoris excipias. Qua tamen in cognitione omnibus hominibus cum anteacti tum praesentis temporis praecllere existimor. Theag. 128b.

ἄλλι κὰ λέγω δήπου εἰ δὲ οὐ
 ἐγὼ τυγχάνω ὡς ἴσως εἰπὲν οὐδὲν
 ἕπιτάμενος πλὴν γὰρ Σωκράτου τινος μεθύματος,
 τῶν ἑρωτικῶν. τοῦτο μὲν τοι τὸ μίθημα
 πρὸ ὄντινόν σου ποιοῦμαι δεινὸς εἶναι καὶ
 τῶν προγεγονότων ἀνθρώπων καὶ τῶν νῦν.

Verisimile est hunc dialogum inter priores esse quos Plato scripsit, ita ut prima stadia platonismi repraesentet. Porro, haud dubitari potest, illa amatoria de quibus loquitur Socrates circa honestatis pulchritudinem versari; unica enim Socratis cognitio et illa qua omnibus aliis praecllebat haec amatoria fuisse dicitur. Confirmatio autem inde deduci licet quod generatim huius periodi dialogi, qui Socratici nominantur, de virtutibus tractant (Charmides, temperantia; Laches, fortitudo; Meno, virtus; Gorgias, iustitia); in prioribus autem illud intendi videtur ut irreductibilitas harum notionum (temperantia, fortitudo) demonstraretur; in Menone, theoria de reminiscencia ad hanc irreductibilitatem explicandam proponitur; in ^{Convivio, Platone} Republica, denique theoria^x reminiscencia^e in contemplationem idearum evolvitur atque expanditur.

Alia confirmatio ex celeberrima ironia Socratica erui ~~it~~ potest. Qui enim nihil aliud de virtute cognoscit quam quod deceat virtuosum, modestum, fortem, iustum se praebere, sane simul cognoscit et non cognoscit quid sit vel virtus in genere vel virtutes in specie. Cognoscit, quia acutissimam perceptionem habet quam pulchrae, quam honestae sint virtutes; non cognoscit quia intrinsece quid sit virtus ignorat^x. Etsi enim honestatis perceptio, quid bonum quid turpe manifestat, minime tamen explicat vel cur vel quemadmodum honestum sit honestum, et turpe sit turpe. Porro, methodus Socratica praecise in eo erat ut definitionem rei cognitae peteret; ipse se nescire definitionem optime sciebat; alius autem cum rem cognosceret etiam definitionem inventu facilem reputabat; vehementissime erravit neque erroribus Socrates parcebat.

ε.γ. x ep. Gorgias 509a τῶτα οὐκ οἶδα ὅπως ἔχει

Tertio, suadet quod hac de re dicit Neoplatonicus Plotinus:

Etiam circa amatoria quae sensu non percipiuntur inquirere oportet. Quid ergo patimini erga nota illa honesta studia et mores graves et moderatam vitae rationem et uno verbo omnia virtutis vel opera vel habitus et ipsam denique animae pulchritudinem... patimini.. bacchanini.. movemini.. desiderio flagratis.. ipsos sibi uniri et corpore^{ib} discedere cupitis.. haec (honestata) sunt ea quae reapse sunt.. quid est quod in omnibus virtutibus tamquam lux effulgere solet? I vi 5

τῶν δὲ καὶ ἐπὶ τὰ ἐν οὐκ ἀεθλήσει ἔρωτικῶν ἀναπυθάνεσθαι βεῖ - τί πάσχετε ἐπὶ τὰ λεγόμενα ἐπιτηδύματα καλὰ καὶ τρίτους καλοὺς καὶ ἡθῆ σώφρωνε καὶ ὅλως ἔργα ἀρετῆς καὶ διαθείσας καὶ τὸ τῶν ψυχῶν κάλλος - -

πίσχετε .. ἀνεβουχισθεῖτε .. ἀνεκινεῖσθε .. ποθεῖτε .. ἑαυτοῖς συνείναι ποθεῖτε συλλεγόμενοι ἀποδοῦσθε ἀπὸ τῶν σωμάτων - -

τὰ ὄντως ἴντα ταῦτα εἶναι - -

τί τὸ ἐπὶ τῶν ἀρετῶν ἑωπρέπτον εἶναι φῶς;

Procul dubio de perceptione honestatis et admiratione eiusdem agitur. Sed haec lux quae in virtutibus effulget revelat "amatoria quae sensu non percipiuntur;" sane delectationem, et ardorem, et amorem Augustini revocare possumus. "Haec sunt ea quae reapse sunt" nam laboriosior est huius mundi amor, mundus autem intelligibilis veram realitatem habet et continet. "Corpore discedere cupitis" nam delectatio ordinat animam, et ubi thesaurus ibi cor.

Celeriter percurrendum est, ideoque hac de quaestione fere illimitata satis esse dictum arbitror: sit ergo haec honestatis perceptio~~ea~~ tamquam res maxime fundamentalis in evolutione platonism~~i~~; sit etiam haec perceptio et actu existens (lex Dei scripta in cordibus), et cum re morali et ascetica intime connexa. At platonismus non totus verus est, iamque de aberrationibus est dicendum. Sit vera singularis et praecellens Socratis scientia de re intelligibili et amatoria: omnia inde vel deducta vel conficta a platoniceis tamquam vera accipi non possunt.

Quibus in aberrationibus indagandis de solo Plotino erit sermo.

Postquam ~~igitur~~ Plotinus de erotico intelligibili quae supra citavimus protulerat, quid sit hoc eroticum ~~et~~ per contrariam turpitudinem explicabat.

Tamquam malum extrinsecum turpitude animae advenit.. unde iam ea non videt quae contemplari debet neque in se manere potest cum semper extra se et infra se et in obscuritatem trahitur..

τὸ ἄδικοσ ἀποστροφέναι οἷον ἕτακτον κικόν ..
οὐκ ἔτι μὲν ἑρῶσαν ἢ δεῖ ψυχῆν ἑρῶν, οὐκ ἔτι δὲ
ἐμφάνη ἐν αὐτῇ μένει τῷ ἕκαστῳ ἀπὸ τοῦ
εἰ ἕνω καὶ εἰ κάτω καὶ τὸ σκοτεινόν ..

Statim inter vera et falsa distinguendum est: datur sane lex in membris et ipsam mentem obscurare solet quae contra legem mentis reluctat; quodammodo ergo corpus est malum animae extrinsecum. At distingue inter malum in causa et malum in voluntate admissum; illud animae extrinsecum, hoc intrinsecum est. Prosequitur Plotinus

Illud ergo turpitude est quod neque pura neque simplex est anima, sed sicut aurum terra admixtum... ita anima cum a desideriiis ~~καταστασικῆ~~ quae propter corpus experitur separata fuerit, cum ab aliis passionibus liberata fuerit, cum ab omnibus quae incorporationem consequuntur purificata fuerit, iam sola facta omne deposuit quod turpe est et a natura extranea advenerat. Enn., I, vi, 5.

καὶ ἔστι τοῦτο ἄδικοσ ψυχῆς ἢ καθαρῆς
μηδὲ ἐλευθέρου εἶναι, εὐστέρε κροῦσθ
ἀναπεπλησθαι τοῦ γένους ..
τοῖς αὐτῶν δὲ τρόπον καὶ ψυχῆς,
μονοθεῖδα μὲν ἐπιθυμιῶν, εἰ δὲ τὸ σῶμα
ἔχει, ἢ ἔγαν προσωμίλει, ἀπαλλυγείδα
τῆ τῶν ἄλλων παθῶν, καὶ καθαροῖτα
ἢ ἔχει σωματωθεῖδα, μένισα μόνη,
τὸ ἀδικοσ τὸ παρὶ τῆς ἑτέρας
πύστωσ ἀταν ἀπεθῆκετο.

Haec vera essent si omne malum animae extrinsecum fuisset. Sed fatente ipso Plotino, ipsa anima nimis corpori adhaeret; unde si liberam voluntatem agnovisset, malitiam in ipsa anima et purificationem animae intrinsecam admisisset necesse est. Quibus positis, ubinam veritas et ubi falsitas eius de materia doctrinae dici potest. Cum enim dicit:

..ita natura materialis
ut
mala est quod nondum in materia
situm est sed tantum materiam
respicit, iam malitia repleatur.

Enn., I, viii, 4.

Verissimum sane est quod veritates aeternitatis mundo sensibili teguntur
et obscurantur: ipsa ergo vita sensibilis nobis malum in causa esse potest,
nisi doctrina et meditatione contra renitemur. At malum in causa nondum
est malum in anima neque possibilitas abusus materiae intrinsecam eius
malitiam probat.

Ad aliam et ultimam considerationem pervenimus: hactenus enim de
mala materia; iam de contemplatione. Ascensionem animae ad contemplationem
his verbis innuit Plotinus:

Anima, ad se ipsam revocata et
tamquam expergefata, non statim
haec lucida contemplari potest.

Habitus ergo consequendi.. honesta
studia.. honesta opera... ipsam
denique eorum animam inspice qui
honesta opera operantur..

Quomodo...? Ipse in se redi et
ibi inspice; et si non dum te
pulchrum videris, tamquam
statuam faciens... ita super-
flua tolle, devia dirige, et
obscura purifica eaque lucida
redde, neque hanc tuam statuam
prius polire desinas quam divinus
virtutis splendor effulserit et
temperantiam videris in suo sancto
throno consedentem. Quod si facti
factus fueris.. totus lumen et

ἡ ὕλη φύσις οὕτως οὕσα κικῆ ὡς
καὶ τὸ μέγαν ἐν αὐτῇ, μόνον δὲ
βλέπον εἰς αὐτὴν, ἀναπέμπεται
κακῶς ἐαυτῆς - -

Ἄρτι μὲν ἐγερμένη οὐ πᾶν τὰ
λαμπρὰ δύνεται βλέπειν.

Ἐθιστίον οὖν -- καλὰ ἐπιτηδεύματα
καλὰ ἔργα -- εἶτα ψυχὴν ἰδέ
τῶν τὰ κατὰ ἔργα τὰ καλὰ
ἐργαζομένων --

Πῶς --; Ἄναγε ἐπὶ σαυτὸν καὶ
ἰδέ· καὶ μὴ πᾶν σαυτὸν ἴδης
καλόν, οἶδον ποιητῆς ἀγάλματος --
οὕτω καὶ σὺ ἀφαίρει ὅσα περιττὰ
καὶ ἀπεύθυνε ἴσα σκοτία, ὅσα
σκοτεινὰ καθάρων ἐργάζου εἶναι
λαμπρὰ, καὶ μὴ πτώση
τεκταίνων τὸ σὸν ἔγαλμα, ἕως ἄν
ἐκλάμψη σοὶ τῆς ἀρετῆς ἢ θεοειδῆς
ἀγαλαῖα, ἕως ἄν ἴδης σαυροδύνην
ἐν ἴσῳ βεβῶσαν βῆθρα -- εἰ
γέγονας τοῦτο -- ὅλος αὐτὸς φῶς

verum lumen et lumen
tantum.. ipse in visionem
transmutatus, enixe inspicé;
solus enim iste oculus maxi-
mam videt pulchritudinem..
Videns enim viso connaturale
et simile... Sis ergo divinus
totus, pulcher totus, si deum
et pulchritudinem visurus es.
Enn., I, vi, 9.

ἀληθινὸν καὶ μόνον --
ὄψις ἤδη γενομένου --
ἀγενίως ἴδε'· οὗτος γὰρ μόνος
ὁ ὄφθαλμος τὸ μέγα κάλλος
βλέπει -- τὸ γὰρ ὄρων
πρὸς τὸ ὄρωμενον σύγγενες
καὶ ὅμοιον -- γενέσθω δὲ
πρῶτον θεοειδῆς πᾶς καὶ καλῶς
πᾶς, εἰ μίλλει θεάσασθαι θεόν τε
καὶ καλόν.

Quid de his sentiendum sit, sane difficile dictu est. Non enim sufficit quod de amore sapientiae descripsit Augustinus ad hanc contemplationem explicandam, sed necesse est ut mysticismus Plotinianus cognoscatur utrum naturalis sit, et si naturalis utrum sanus an pathologicus. Quam ~~in~~ quaes-
tionem minime me adgressurum polliceor. At quodamque de ipsa contemplatione sit dicendum, haec saltem ^{opina ri} ~~esse~~ possumus. In primis intime connectitur cum perceptione honestatis: testantur Plotini verba, "honesta studia" "honestas opera" "animam eorum qui honestas opera operantur" "ipsam temperantiam in sancto suo throno consedentem". Deinde, haec contemplatio illam veritatem "simile simili cognoscitur" vel "qualis unusquisque est, talis finis videtur ei" tamquam ad limitem producit, ubi simile quod cognoscitur et simile quod cognoscit quasi in xpi vertice coincidunt et identificantur. Tertio, ipsa ascensio ad hanc contemplationem intime cum vita ascetica connectitur: agitur enim de honeste vivendo, de purificatione cordis ab affectionibus et illusionibus terrenis.

Iam ad S. Gregorium redeundum est ut ^{proferatur} iudicium quoddam in doctrinam circa peccatum et purificationem, prout haec doctrina nostris textibus illustratur.

Duo sunt consideranda: doctrina theologica de peccato; doctrina ascetica et mystica de peccato. Doctrina theologica de peccato convenienter dividitur in ea quae respiciunt primum hominis statum et ea quae subsequuntur. Doctrina ascetica convenienter dividitur in considerationes de oratione, de sic dicto intellectualismo, de apatheia.

9. 072. Mysticismus

Primus hominis status triplici elemento constabat: naturali, praeter-naturali, supernaturali. Duce Irenaeo, PP illum Geneseos versiculum, "faciamus hominem ad imaginem et similitudinem nostram," de gratia ~~hominis~~ supernaturali interpretabantur: ita etiam, uti vidimus, S. Gregorius. ~~hominis in anima~~ At haec imago Dei in anima posita non solum gratiam supernaturalem sed etiam potentiam quandam cognoscitivam significare poterat: et hoc duplicem ob causam, primo quia Platonici de aliqua divina cognitione per ipsam animam loquebantur, deinde quia ipsa sacra scriptura de familiaritate Adami cum Deo in paradiso locuta est. Accedebat ille usus allegorice scripturas interpretandi ~~quodammodo~~ ^{in quo} Philon^m Clemens imitabatur: secundum hunc usum Athanasius per paradisum idearum locum intelligebat; secundum spiritum talis interpretationis Gregorius hypothesin protulit ~~quodammodo~~ futurum non fuisse ut corpus humanum crearetur nisi hominis peccatum ^{se} Deus praevidisset. Procul dubio tamen illud maximum erat quod scholastici acutis distinctionibus theologiam non dum ornaverunt: posita enim ~~hanc~~ distinctione inter supernaturale et naturale, nulla unquam confusio oriri potuit inter familiaritatem cum Deo qua gaudebat Adam in paradiso, et contemplationem idearum platonice; illa enim Adami familiaritas donum praeternaturale erat; contemplatio autem platonice vel naturalis erat dicenda vel ignotum quid. Contra, tali distinctione non dum posita, haud mirum est patres quosdam qui non traditionem referrebant sed orationes platonismo ornabant minus caute esse locutos. Uti enim vidimus, solide suspicari possumus S. Gregorium imaginem Dei supernaturalem ita concepisse ut peccato non tolleretur sed tantum obscuraretur. Praeterea, quae citavimus ex oratione ad Gentes eandem suspicionem in Athanasium coniciunt.

Porro, cum Platonici imaginem divinam in anima collocatam tanquam fructum vitae moraliter bonae et exercitationis virtutum ducebant, non solum dogma de peccato sed etiam vitae asceticae rationem platonismus afficiebat. ~~Quamquam subseriptis~~ Sicut enim Platonici inventas ideas ita ~~admirationem habebant~~ admirabantur et laudabant at voluntatis fuerint obliti, similiter patres Verbum Incarnatum stuebant atque

Qua tamen in re illud nobis certissimum sit: fuerint forsitan qui ita Christianismum sint amplexi ut non tam Christiani quam Platonici essent nominandi; hoc ~~ix~~ vero nefas est vel suspicari de iis quos universalis ecclesia sanctos fuisse proclamat. Revocanda ergo est utilissima distinctio inter "id quod" et "modus quo": ascetismum quam egit Gregorius platonice fuisse negamus; modus quo vitam asceticam descripsit et concepit Gregorius ad modum descriptionum et conceptionum platonice fuisse videtur.

In primis enim de apatheia loquitur. Inter indifferentiam et apatheiam illud intercedit quod indifferentia solam voluntatem respicit, apatheia autem pravos motus cum voluntatis tum reliqui hominis excludit. Sensu absoluto et relativo sumi potest: sensu absoluto a Plotino apatheia intelligitur, cum anima a corpore prorsus separetur, corpus autem omnium pravorum motuum origo et fons; sensu relativo autem apatheia est illa cordis puritas ad quam sancti communiter perveniunt. Ita apatheia absoluta a relativa differt ut absoluta negat corpus, relativa affirmat illam perfectionem virtutis, illam bonorum habituum acquisitionem, qua vir sanctus summa facilitate ea facit quae ^{in vitam} ~~non~~ difficillima sed fere impossibilia novitio videatur: exemplo sint illa S. Francisci ⁿ ad Fr. Iuniperum, "ci sarà perfetta letizia." Quaeri ergo potest utrum sensu relativo an sensu absoluto illa vox apatheia a S. Gregorio adhibeatur. Cui quaestioni e nostris textibus satis fieri non potest. Duo tantum observamus: primo fundamentum apatheiae platonice Gregorius reiecit cum materia Plotino intrinsece mala est, Gregorio autem omne opus Dei est bonum; secundo, fieri potest ut tantum vox platonice, ^{usurpatur} minime autem ipsa res a Gregorio intelligatur; sed haec non sententia neque opinio sed hypothesis est.

Apatheia negat sensus quae appetitivos; intellectualismus duplicem habet aspectum quatenus primo sensibus quae cognoscitivis opponitur, et ^{quatenus} secundo voluntatis partes parum ~~fecisse~~ ^{considerat}.

Iam vero ex supra citatis facile colligitur non in Christum hominem sensibus et imaginatione notum atque tamquam praesentem sed in ipsum Verbum Aeternum pureque intelligibilem Gregorii orationem tetendisse.